

## PRAEFATIO HVSCHKII EDITIONIS PRIMAE

Pauca sunt, quae de Gaio certo constant. Unum eius hoc nomen nobis traditum est tam in libris iuris, ubi primum in Collatione certo comparet<sup>1</sup>, quam a grammaticis, quorum primus Diomedes [saec. IV] (ed. Putsch. p. 375. Keil. I p. 379), si modo quod traditum ibi est in libris mss. 'Caium' ad Gaium recte refertur, et paulo inferior saeculo fere ineunte quinto Servius Honoratus ad Vergil. Georg. 3, 306 Gaium memorant: omnes vero hoc sine dubio a iurisconsultis vel a Gai librorum titulis, in quibus dudum unum hoc nomen, ut in libris tritissimis fieri solet, scribi sueverat, mutuati sunt. Id ipsum vero, quamvis etiam in nomen abierit (Osann. ad Pompon. p. XIX) et in cognomen (vid. indices Corp. inscript. Lat.), plerisque tamen et puto recte eius creditur praenomen, sicut Servii alius ICTi, plerumque sic tantum nominati, Titi, Marci imperatorum: eoque fortasse solo significatus est, quod nomen et cognomen ei erat cum alio, nescimus quo, ICTo commune ut ab hoc simplicissime distingueretur: quanquam nunc Guido Padelletti (Del nome di Gaio Rom. 1874) nomen id gentilicium, alius Italus (Felice Cattaneo Del nome di Gaio, nota letta al R. Istit. Lomb. 1881) cognomen fuisse huic ICTo, argumentis nec tamen probabilioribus adstruxerunt. Certe Titi praenomen, quod in uno alterove epitomae Visigothicae codice Gaio praescriptum legitur indeque verum eius praenomen fuisse quibusdam visum est, post multos ab Haenelio inspectos codices corruptela vocis *tituli* apparuit (cf. Haenel. Lex Rom. Vis. p. XLV, not. 16, p. 314). De aetate Gai hoc tantum compertum est, quod sub imperatoribus Hadriano, Antonino Pio et M. Aurelio Antonino vitam suam transigit. Nam quod Hadriani temporibus acciderat, id ipse sua aetate factum esse narrat L. 7 pr. D. de reb. dub. (34, 5). Institutionum commentarium primum et partim

1) An enim Gaius, quem Pomponius nostrum appellat L. 39 D. de stip. serv. (45,3), ad hunc referendus sit, ambigitur. Vid. p. XVII n. 1.